

est anno ab Urbe condita DCLXXXIXI, anno tercio olimpiadis centesime septuagesime none, eo anno quo natus est M. Messala Corvinus orator eximius, qui divo Octaviano Augusto primum, deinde Tiberio Cesari adherens, anno Urbis DCCLXXI, olimpiadis centesime nonagesime octave anno ultimo, imperii vero Tiberii Cesaris anno tercio obiit Patavi, anno etatis eius septuagesimo septimo, quo anno obiit Ovidius Naso poeta egregius in Scithia apud Thomos opidum relegatus. Et hodie Pactavi cernitur eius saxeus tumulus in monasterio s. Iustine cum saxo incisis literis.

46) (162¹) Opus hoc, quod ut plurimum opera Martis continet, ceptum fuit transcribi per me Paulum de Bernardo venetum scribam die Martis primo mensis Septembbris, anno huius etatis ultime 1388, et finitum die Martis itidem 1^o mensis Marcii 1389, quo quidem tempore non ortum, sed redintegratum est bellum inter Pactavum, patriam auctoris huius operis, et Venetiam, patriam mei scriptoris, quo seviente adeo res processit ut patria auctoris in lite succubuerit sortemque mutaverit. Nam Carrarienses, qui per magnum tempus presidebant loco, bello coacti cesserunt dominio Pactavorum, urbemque ipsam, haud minimam inter eas quas vidisse me contigit, subdiderunt comiti Virtutum, videlicet Galeaz Vicercomiti, Ligurum maximo presidi, cum quo nobis Venetis erat fedus contra Pactavum, seu pocius contra presidem Carrariensem, Franciscum videlicet seniorem, et inde nobis est Tervisium restitutum, quod tunc detinebatur per Carrariensem hostem humani generis. Cuius rei quoniam in amena hystoria est, ex proposito sub silentio preteritur: hoc potest tamen cum omni veritate astrui, quod si quo tempore iusticia Dei visa est in aliquo operari, in hoc manifeste negocio manum apposuisse videtur, ita ut nemo unquam diffidat in rebus humanis iusticiam operari.

De opere suprascripto autem, quod magnopere debet cuilibet esse cordi, hoc dixerim pro veritate cuilibet non esse perfectum aut correctum ad unguem, quippe qui nullum credo hac etate reperiri posse; hoc tamen audacter affirmare possum, minus corruptum multis aliis quos etate mea vidi et hic et alibi. Nam ad trascrivendum hunc librum quampluribus exemplaribus usus sum, cum quibus et ingeniole meo parvo admodum nonnihil ad tergendum sordeum multimodas insudavi.

[Riprodotto da E. CHATELAIN, *Catulle, ms. de S. Germain-des-Prés. Paris 1890, pag. IV; e F. NOVATI, op. cit., pag. 384 n.].*